

De Bonifacio, qui excommunicatis, & Pseudoepiscopis a se non communicatorum juravit.

Antecessor noster Prædecessor vestri veneranda memoria Gregorius, dum me indignum ordinavit, & ad prædicandum verbum Dei Germanicis Gentibus misit; sacramento me constrinxit, ut canonicis, & iustis Episcopis, & Presbyteris in verbo, factis, consensu adimplerem herem; & adjutor, (quod cum Divina gratia adimplere studui) falsos autem Sacerdotes, hypocritas, & seductores populorum vel corrigerem ad viam salutis, vel declinarem, & abstinerem a communione ipsorum: quod ex parte servavi, & ex parte custodire, & implere non potui: sed spiritualiter implevi sacramentum, quia in consensum, & in consilium eorum non venit anima mea: corporaliter autem ab eis omnino abstinerere non potui. Dum enim venissem ad Principem Francorum, cogente Ecclesiarum necessitate; non tales ibi reperi, quales volui: sed tamen in sancta communione corporis Christi illis non communicavi.

Corr. Rom. Epistola, in qua habetur Capitulum hoc, edita est per Laurentium Surium in vita sancti Bonifacii Legati Germanie, & Martyris. Emendator autem extat manuscripta Romæ in Bibliotheca Monasterii Dominiani.

CV. Item Zacharias Papa Bonifacio Martyri in Epistola, cujus initium est, Benedictus Deus. [an. 751. Romæ in Germaniam.] Excommunicatis non communicat, qui eis animo non consentit.

Quod Prædecessor noster beate memoriæ Gregorius, huic sanctæ Sedis Apostolicæ Præsul, dum ad prædicandum verbum Evangelii tuam misisset. Fratritatem in Germanie partibus, & gentibus illis paganis, verbo pollicitationis illam voluit ante esse muniam: ita ut orthodoxos Episcopos, Presbyteros, vel quoscunque reperire potuisses in verbo exhortationis perfectos, amplius confirmares, & eis communicares (quod & factum est): si quos verò seductores Episcopos, aut Pseudopresbyteros, vel quosque a recto fidei tramite deviantes reperisses; nulla tibi cum eis esset communio: quod te, solatiente Deo, usque ad præsens spiritualiter servasse confessus es: vel si omnino propter principalem, & humanum favorem gentis Francorum, dum ad eos accessisses, corporaliter abstinerere non valuis, cogente Ecclesiarum Dei necessitate; & tamen in eorum consilio, & consensu communionis anima tua non est coinquata. Itaque propter hoc, quod cum eis conversatus es, non consentiens iniquitati eorum; nullum tibi est detrimentum coram Deo.

Corr. Rom. In Epistola præcedunt hæc verba, Suggestit itaque sancta Fratritas tua in suis apicibus, quod Prædecessor noster, &c.

EXCOMMUNICATIONIS autem forma, & modus, atque reconciliationis hic est.

CVI. [fortè c. an. 692.]

Modus & Forma Excommunicationis.

Debent duodecim Sacerdotes Episcopum circumstare, & lucernas ardentes in manibus tenere, quas in conclusione Anathematis, vel Excommunicationis projicere debent in terram, & conculcare pedibus: deinde Epistola per parochias mittatur continens Excommunicatorum nomina, & causam Excommunicationis.

Corr. Rom. Apud Burchardum, & Ivonem ea, que in hoc Capite continentur, & multa alia eodem pertinentia, citantur ex Concilio Rotomageni. In Collectione verò Canonum incerti Autoris manuscripta, iisdem verbis, quibus hic, refertur ex Zacharia Papa.

CVII. Item ex CONCILIO ARAUSICO. [an. 441. in Gallia.]

De eodem.

Anonica instituta, & sanctorum Patrum exempla sequentes, Ecclesiarum Dei violatores a autoritate Dei, & iudicio Sancti Spiritus a gremio sanctæ matris Ecclesiæ, & a confortio totius Christianitatis eliminamus, quoadque respiciant, & Ecclesiæ Dei satisfaciunt.

Corr. Rom. Violatores. In eadem Collectione, & apud Burchardum, & in duobus vetustis Gratiani codicibus sequitur N. Ab aliis tamen Gratiani exemplaribus, & ab Ivone abest nota ista.

CVIII. Item ex EODEM. [an. 441. ibid.]

Modus Reconciliationis Excommunicatorum.

Um aliquis vel Excommunicatus, vel Anathematizatus, penitentiam ducens veniam postulat, & emendationem promittit; Episcopus, qui eum excommunicavit, ante januas Ecclesiæ venire debet, & duodecim Presbyteri cum eo, qui eum hinc inde circumstare debent. Et si ille terræ prostratus veniam postulat, & de futuris cautelam

spendet; tunc Episcopus apprehensa manu ejus dextera, in Ecclesiam illum introducat, & communioni Christianæ reddat, & septem Psalmos penitentiales decantet cum istis precibus, Kyrie eleison, Pater noster, Salvum fac servum tuum, Oratio, Præsta quæsumus Domine huic famulo tuo dignum penitentiam fructum; ut Ecclesiæ tue sanctæ, à cuius integritate devierat peccando, admissorum veniam consequendo reddatur innoxius. Per &c.

Corr. Rom. a Debet. Apud Burchardum, qui etiam ex Concilio Arausico citat, hæc sequuntur: Ubi etiam adesse debent illi, quibus injuria, vel damnum illatum est, & multa alia, que omnino perlegenda sunt.

Presbyteris verò, qui excommunicati sacrum ministerium contingere præsumunt, que penitentia sit imponenda, definit dicens

CIX. JOANNES VIII. Clero, & Ordini Salonitano scribens. [c. an. 880. Romæ in Dalmatiam.]

Que sit penitentia Sacerdotum, qui excommunicati sacrum ministerium contingere præsumunt.

DE illis Presbyteris, qui tempore sanctissimi Prædecessoris nostri Domini Papæ Nicolai excommunicati sacrum ministerium contingere præsumperunt; ipsi in se damnationis (sicut sacri Canonis statuerunt) sententiam inulerunt. Tamen, quia multitudinem misericordie vestri hæc indulgentiam exhibemus; ut sancta communione saginam studeant tribus continuis annis per hebdomadam omni secundâ, & quartâ, & sextâ feriâ à vino, & à carne penitus jejunare, & ultra lugenda nequaquam committere.

Corr. Rom. a Omnia secundâ. Apud Ivonem, & in aliquot vetustis Gratiani exemplaribus legitur, omnia secundâ, & sextâ feriâ: in uno autem, omni quartâ, & sextâ feriâ.

In Pannormia est, aut à vino, aut à carne: apud Ivonem, à vino, aut aceto.

Qui autem Excommunicati communicant, pro modo peccati penitentiam accipiant. Unde

CX. URBANUS II. Genebaldo Constantiensis Episcopo. [c. an. 1093. ex Italia in Germaniam.]

Pro modo peccati puniuntur, qui Excommunicati communicant.

Sanctis quippe Canonibus cautum constat, ut qui Excommunicati communicaverit, excommunicetur. Ipsius tamen penitentiam, atque absolutionis modos eo moderatim decernimus; ut quicumque fe ignorantiâ, seu timore, seu necessitate negotii cujuscunque maximi, & maxime necessarii, eorum se convictu, salutatione, oratione, osculatione contaminaverit; cum minoris penitentia medicinali societatis nostræ participationem fortiantur. eos verò, qui aut spontaneè, aut negligenter incididerint; sub eorum disciplinæ coercitione suscipi, ut ceteris metus incediat.

Causa XII.

CAUSA XII.

Quidam Clerici propria relinquere volunt: de suis & Ecclesiæ rebus testamentum conficiunt: de rebus Ecclesiæ nonnulla largiuntur.

Modo primum queritur, utrum liceat Clericis proprium habere.

II. Secundò, an res Ecclesiæ, que ab eis datæ sunt, possint consistere aliqua firmitate eis, qui eas acceperunt.

III. Tertiò, si ante tempus Ordinationis sue, qui nihil habere videbantur, & post Ordinationem aliqua invenisse noscuntur, an possint ea relinquere quibus voluerint, an non.

IV. Quarto, si de suis & Ecclesiæ rebus aliqua acquisisse noscuntur, an utriusque communitur, an singulariter Ecclesiæ, vel Sacerdoti, jure proveniant.

V. Quintò, si testamenta liceat eis conficere.

UTRUM LICEAT CLERICIS PROPRIUM HABERE. QUÆSTIO I.

Clericos nihil possidere, multis autoritatibus jubetur. Ait enim

I. TOLETANUM CONCILIIUM IV. 623. [an. 633. in Hispania.]

Impuberes, & adulescentes in uno conclavi manentes probabilissimo seniori deputentur.

Omnis ætas ab adolescentia in malum prona est. Nihil enim incertius, quam vita adolescentium. Ob hoc consistere oportet, ut si qui in Clero impuberes, aut adulescentes existunt, omnes in uno conclavi atri commaneant, ut lubricis ætatis annos non in luxuria, sed in disciplinis Ecclesiasticis agant, deputati probabilissimo seniori, quem & magistrum disciplinæ, & testem vitæ habeant.

§. 1. Quod si aliqui

Gratiani, & I. Pars, a al. approbatur.

Gratiani, & I. Pars, a al. approbatur.

aliqui ex his pupilli existunt; Sacerdotali tutela foveantur: ut & vita eorum à criminibus intacta sit: & res ab injuria improborum. Qui autem his præceptis refutaverint; Monasterium deputentur, ut vagantes animi, & superbi severiori regula distringantur.

II. Item CLEMENS I. in Epist. 5. [c. an. 68. Romæ Hierosolyman.]

Omnibus Clericis communis est vita servanda.

Distictissimi Fratribus, & Condiscipulis, Hierosolymitis cum dilectissimo fratre Jacobo Coepiscopo habitantibus, Clemens Episcopus. Communis vita, Fratres, omnibus necessaria est, & maxime his, qui Deo irreprehensibiliter militare cupiunt, & vitam Apostolorum, eorumque Discipulorum imitari volunt.

§. 1. Communis enim usus omnium, que sunt in hoc Mundo, omnibus esse hominibus debuit. Sed per iniquitatem alius hoc suum esse dixit, & alius illud; & sic inter Mortales facta divisio est. §. 2. Denique Græcorum quidam sapientissimus hæc ita sciens esse, ait, communia debere esse amicorum omnia. [In omnibus autem sunt sine dubio, & conjuges.] Et sicut non potest, inquit, dividi aer, neque splendor solis; ita nec relict, que communitur in hoc Mundo omnibus data sunt ad habendum, dividi debere; sed habenda esse communia. Unde & Dominus per Prophetam loquitur dicens: Ecce quam bonum, & quam jucundum, &c. §. 3. Istius enim consuetudinis more retento, etiam Apostoli, eorumque Discipuli, ut prædictum est, una nobiscum & vobiscum communem vitam duxere. Unde, ut bene notis, erat multitudinis eorum cor unum, & anima una; nec quisquam eorum, aut nostrum de his, que possidebat, aliquid suum esse dicebat: sed omnia illis & nobis erant communia: nec quisquam egens erat inter nos.

§. 4. Omnes autem, qui domos, vel agros possidebant, vendebant eos, & pretia eorum, & reliquas res, quas habebant, afferbant ponentes ante pedes Apostolorum (sicut nobiscum quidam vestrum cognoverunt, & viderunt); & dividebantur singulis, prout cuique opus erat.

§. 5. Ananias autem vir austerus, & Sapphira uxor ejus, qui mentis sunt Apostolis de pretio agrorum suorum, quos venderant, nobis præsentibus, in conspectu omnium circumstantium à conspectu Apostolorum propter peccatum eorum, & mendacium, quod fecerunt, mortui elati sunt ambo. Cetera, que de talibus cognovimus, & vidimus, nec recordatione, nec demonstratione digna sunt. Quapropter hæc vobis cavenda mandamus, & doctrinis, & exemplis Apostolorum obedi præcipimus: quia hi, qui mandata eorum postponunt, non solum rei, sed extores sunt. Que non solum vobis cavenda, sed & omnibus prædicanda sunt.

§. 6. Unde consilium dantes, vestram Prudentiam hortamur, ut ab Apostolicis regulis non recedatis: sed communem vitam ducentes, & Scripturas sacras recte intelligentes, que Domino vovistis, adimplere satagatis.

Corr. Rom. a In omnibus autem sunt sine dubio. Verba hæc ablut ab originali in recentioribus Conciliorum editionibus impresso, & duobus ipsius manuscriptorum codicibus, uno Vaticano, altero Bibliothecæ sancti Marci Florentiæ, & ab Anselmo. Hanc verò sententiam à Platone acceptam Hæretici quidam volebant in Christianam religionem invehere. In enim scribit Epiphanius hæretici 32.

Primus quidem, quod ipse Epiphanius cum patre suo, & fratre Antiphite Caspæate, ac Platono de Repub. libris occasione nactus, & propriam concupiscentiam perfertens. Verum apud veteres etiam Christianos hæc usus uxorum communionem vehementer damnari solitam Tertullianum in Apologetico evidenter testatur his verbis: Omnia inlicita sunt apud nos præter uxores. In illo loco consorsium solvimus, in quo solo ceteri homines consorsium exercent: qui non amicorum solummodo matrimonia usurpant, sed & sua amicis patientissime subministrant, ex illa credo Majorum & sapientissimum disciplinâ, Græci Socratis, & Romani Catonis, qui uxores suas amicis communicaverunt, &c.

§. 7. Dilectissimi. Hic locus transcriptus est ad verbum ex 10. recogniti, ubi ex persona Faustianini Ethnici referuntur & reselluntur.

III. Item EUGENIUS Papa II. & Leo IV. c. 7. [an. 826. & 853. Romæ.]

Juxta Ecclesiam, Clericorum claustra constituantur.

Necessaria etenim res exigit, ut juxta Ecclesiam claustra constituantur, in quibus Clerici disciplinis Ecclesiasticis vacent. Itaque omnibus unum fit refectorium, ac dormitorium, seu ceteræ officinæ ad usus Clericorum necessaria. Ministris verò post Episcopum super eos eligantur; quorum vita, atque doctrina illos potius exoriet, quam dehonestet.

Corr. Rom. a. Caput septimum Concilii Romæ ab Eugenio II. primò habiti, & postea à Leone IV. innovati. Antea citabatur Leo IX.

Nec in atrio Ecclesiæ, alia ædificia, nisi Clericorum ponantur. Unde

IV. NICOLAUS Papa III. [scilicet ex Conc. Sa. leguntur ad diem, an. 1023. in Germania.]

¶

In Concilio Sa. leguntur.

Nec in atrio Ecclesiæ, nisi Clericorum ædificia ponantur. Nulla ædificia in atrio Ecclesiæ ponantur, nisi tantum Clericorum. Corr. Rom. Ferè eadem leguntur in Concilio Sa. leguntur ad diem, c. 12. quod habetur in fine Collectionis Burchardi, & refertur ab Ivone par. 15.

V. Item HIERONYMUS ad Nepotianum. [an. 392. è Palestina in Italian.]

Clericus nihil seculare possideat.

Clericus, qui Christi servit Ecclesiæ, interpretetur primò vocabulum suum: & nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Si enim Græcè, fors Latine appellatur; propterea vocantur Clerici, vel quia de forte sunt Domini, vel quia Dominus fors, id est, pars Clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet; talem esse exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino. Qui Dominum possidet, & cum Propheta dicit: Pars mea Dominus; nihil extra Dominum habere potest. Quod si quidpiam aliud haberit præter Dominum; pars ejus non erit Dominus: verbi gratia, si aurum, si argentum, si possessiones, si varam suppellectilem; cum istis partibus Dominus fieri pars ejus non dignatur. Si autem ego pars Domini sum, & funiculus hereditatis ejus; nec accipio partem inter ceteras tribus; sed quasi Levita, & Sacerdos vivo de decimis; & altari serviens, altaris oblatione sustentor. Habens victum & vestitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar.

VI. Item AMBROSIVUS de fuga Seculi, c. 2. [c. an. 387. Mediolani.]

Nihil præter Deum debet curare, qui in eius sortem eligitur.

Cum portio Deus est, nihil debet curare, nisi Deum; ne alterius impediatur necessitatis munere. Quod enim ad alia officia confertur; hoc religionis cultui, atque huic nostro officio deceptur. Hæc enim vera est Sacerdotis fuga, abdicatio domesticorum, & quadam alienatio charissimorum: ut suis se abneget, qui servire Deo elegerit.

VII. Item HIERONYMUS ad quemdam suum Levitam, de duobus generibus hominum. [fortè c. an. 410. in Palestina.]

Clericis, & Deo Devotis nec carnis agere, nec aliquid proprium habere licet.

Do sunt genera Christianorum. Est autem unum genus, quod mancipatum divino officio, & deditum contemplationi, & orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit: ut sunt Clerici, & Deo Devoti, videlicet Conventus. Græcè enim Græcè, Latine fors. Inde hujusmodi homines vocantur Clerici, id est, sorte electi. Omnes enim Deus in suos elegit. Hi namque sunt Reges, id est, se, & alios in virtutibus regentes: & ita in Deo regnum habent. Et hoc designat corona in capite. Hanc coronam habent ab institutione Romanæ Ecclesiæ in signum Regni, quod in Christo expectatur. Ratio verò capitis, est temporalium omnium depositio. Illi enim victi & vestitu contenti, nullam inter se proprietatem habentes, debent habere omnia communia. §. 1. Aliud verò genus est Christianorum, ut sunt Laici. Græcè enim Græcè, est populus Latine. His licet temporalia possidere, sed non nisi ad usum. Nihil enim miserius est, quam propter nummum Deum contemnere. His concessum est uxorem ducere, terram colere, inter virum & virum judicare, causas agere, oblationes super altari apponere, decimas reddere: & ita salvarii poterunt, si vitia tamen beneficiendo evitaverint.

VIII. Item GREGORIUS I. Augustino Anglorum Episcopo, Responsum c. 1. & 2. [an. 604. Romæ in Angliam.]

Clerici nihil proprium possideant.

Quia tua Fratritas Monasterii regulis erudita, seorsum non debet fieri à Clericis suis in Ecclesia Anglorum, que autore Deo nuper ad fidem perducta est; hæc debet instituire conversationem, que in initio nascentis Ecclesiæ fuit patribus nostris: in quibus nullus eorum ex his, que possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia. §. 1. Si qui verò sunt Clerici extra sacros Ordines constituti, qui se non possunt continere; fortiter uxores debent, & stipendia sua exterius accipere: quia & de eisdem Patribus, de quibus præfati sumus, novimus scriptum, quod dividebatur singulis, prout cuique opus erat. De eorum ergo stipendio cogitandum, atque providendum est: & sub Ecclesiastica regula sunt tenendi: ut bonis moribus vivant, & canendis Psalmis invigilent, & ab omnibus illicitis cor, & linguam, & corpus Deo autore conservent.

§. 2. Communitur autem viventibus, jam de faciendis portionibus, vel exhibenda hospitalitate, & adimplenda misericordia nobis quid erit loquendum? cum omne, quod superest, in causis piis, ac religiosis erogandum est; Domino & magistro omnibus dicente: Quod superest, date elemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.

IX. Item URBANUS Papa I. omnibus Catholicis, Epist. unic. c. 1. [an. 222. Romæ.]

¶

¶

¶

¶

¶

¶

¶

¶